



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei  
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

**Ammiani, Sebastiano**

**Venetiis, 1562**

Fides displicet diabolo p[ro]p[ter] quatuor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30415**

CHRISTIANA

trauit filius Dei in mentem uirginis per fidem quam in uentrem. Vnde in **Luc. 1.** Luca dicitur. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à domino. Et Pater Augustinus. Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Secundo, quia fides in mente signum regium ponit, idest, filium Dei in cruce pendentem. Tertio, quia solis fidelibus benedictiones dabit. Vnde apud Ioannem dicitur. **Ioã. 20. Luc. 10.** Beati qui non uiderunt & crediderunt. Et apud Lucam. Beati oculi qui uident, quæ uos uidetis. Et Paulus. **Gall. 3.** Qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham.

*Fides displicet diabolo propter quatuor.*

**P**rimo, quia fides non cessat diabolo contumeliam facere. ipsa nanque ostendit eum nullius creature Deum esse, & auctorem solius mali; & propter culpam suam iudicatum iam esse. **Io. 16.** Princeps huius mundi iam iudicatus est. Secundo, quia per fidem ei ubique resistitur. Vnde Petrus admonebat nos inquitens. **1. Pet. 3. 13.** Cui resistite fortes in fide, &

apud Marcum dicitur. Signa autem **Mar.**  
 eos qui crediderint hæc sequentur, **ultimo.**  
 in nomine meo demonia eiciant, &c.  
 Tertio, quia fides diabolum de men-  
 te expellit, ponens ibi crucē, & Chri-  
 stum in ea pendentem, unde uidens  
 eam in qua uictus fuit, multum ti-  
 met, & stare non potest. Vnde Ber-  
 nardus. Nullus demonum propè sta-  
 re poterit uidens gladium in quo  
 deiectus est, scilicet crucem. **Bernar.**  
 Quarto, quia fides est lux ualde exosa dia-  
 bolo. Ioan. 3. Qui malè agit, odit lu-  
 cem, & non uenit ad lucem, &c. **Ioan. 3.**

*Fidei bona sunt septem.*

**P**rimum est, quia illuminat, &  
 tenebras infidelitatis expellit.  
 Vbi fides non est, ibi tenebræ  
 sunt. In cuius figura in Exodo legi-  
 tur. Factæ sunt tenebræ horribiles in **Exo. 10**  
 uniuersa terra ægypti tribus diebus  
 nemo uidit filium suum, nec mouit se  
 de loco in quo erat. ubicunque au-  
 tem habitabant filij Israel, lux erat.  
 Secundum, quia uincit mundum; di-  
 cente Ioanne. Hæc est uictoria que  
 uincit mundum fides nostra. & Hiero-  
 nymus. Qui ueram fidem habet non **Hieron.**